

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Jakob Carpov

**Illustrationis Apologeticæ Peccati In Spiritvm Sanctvm Adversvs Iohannem Engestroem Svecvm ...**

**Specimen Septimvm : De Satisfactione Christi Pro Illo Et Pro Apistia Finali**

Vinariae: [Iohann. Adam. Melchioris Vidua], MDCCXLVIII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862636167>

Band (Druck) Freier  Zugang 



381

a. B.

48. b. 8.

14.

Fa-1092 (14)





ILLVSTRATIONIS APOLOGETICAE  
**PECCATI**  
**IN SPIRITVM SANCTVM**  
 SPECIMEN SEPTIMVM  
 DE  
 SATISFACTIONE CHRISTI PRO ILLO  
 ET PRO ἈΝΙΣΤΑΙ FINALI

AVCTORE

M. IACOBO CARPOVIO

ILL. GYMNASII VINAR. DIRECTORE MATHEM. P. P.  
 REGIÆ BEROLINENSIS SOCIETATIS SCIENTIARVM  
 COLLEGA.



VINARIAE M DCC XLVIII.



SA L I S B A C T I O N E C H R I S T I P R O H I  
ET PRO ABDITA HABITAT  
LECTORI  
VERITATIS CUPIDO  
SALVTEM.  
REGIE BEROLINIENSIS SOCIETATIS SCIENTIALEM  
COL.

Auctoris in-  
stitutum.

*A*veu p̄roopus loqui, si oratoribus interdum, neque id quidem male, permisum est, mihi in præsentia parem licentiam a Te, Lector, datum iri, quoniam ad paucos dies intermisso labore manus admoueo iterum, recentique, quidquid disputatum est, inhæret memoriæ, confido. Argumentum vero præsentis scriptionis ex me quærens, sic habeas: Superiori Specimine argumenta, quæ de neganda Christi pro ætate finali satisfactione me certum reddiderunt olim, repetitii (Spec. VI. §. 4.), et nouis auxi (l. c. §. 5.), simulque ex aduerso, nullum stabile argumentum pro sententia contraria Viro S. R. Engstroemio fuisse, illique potius falsum imposuisse colorem, cum acutum tangere sibi videretur. perspicuum atque manifestum esset (l. c. §. 7. seqq.). Itaque consequens iam est, ut fidei datæ (l. c. §. 2.) liberandæ caussa, ad defendenda et ab obiectionis vindicanda argumenta, quibus in Theologia Rev. usus sum, progressum faciam, sequentibus Speciminiibus ea, quibus limites præsentis locum non dant, relicturus.

IL

## II.

Placet autem, propositionem, sequentis demonstrationis fundamen-  
tum, præmittere. Iustus dum punit alios qua iustitiam rectori-  
am, delicti grauitatem grauitate poenæ non excedit (El. Theol. Nat. §. 734.), sed poenas, quæ delictis æquales sint, delinquentibus irrogat (l.c. poena dupli-  
§. 736.) ita, ut delictorum et poenarum proportio sit, iustitia sic exi-  
ci, quarum  
gente (l.c. §. 736. Schol. 1.). Hinc fit, ut in iustitia perfectissima nul-  
lus gradus delicti negligatur, sed omnis poena æqualis sit mensuræ deli-  
cti, et eadem proportio poenarum, quæ est delictorum, seruetur exactissi-  
me (l.c. §. 740.). Cum igitur Deus iustitia perfectissima polleat (l.c.  
§. 742. 743.), fieri nequit, quin in poenis irrogandis proportionem,  
gradui prauitatis actionum debitam, exactissime seruet (l.c. §. 754.),  
ita scilicet, ut grauitas poenæ semper æqualis sit grauitati delicti. Quo  
sic se habente, fieri nequit, ut Deus unum delictum plectat poena dupli-  
ci, quarum qualibet delicto æqualis sit. Hoc enim si fieret, poena non  
esset delicto æqualis, sed duplo grauior.

## III.

Neque minus, antequam ad rem veniam, Lectorem tenere, vélim, Tam satisfa-  
sequentia. Quemadmodum omne peccatum, ad Deum relatum, gra-  
uitatis infinitæ est (El. Theol. Nat. §. 1376.), ita speciatim àzisias fina-  
lis peccatum, dum legis fidei transgressio est (Spec. I. §. 9. 10. 11.), natio eter-  
infinita grauitate qua intensionem laborat. Sed satisfactio Christi na est poena,  
ob infinitam personæ excellentiam valoris qua intensionem infiniti est peccato àzis-  
(Theol. Rev. T. II. §. 35. Sch. 1.), pariter ac intensiue infinitum dolo-  
rem Christus sustinuit (l.c. T. I. §. 20. et T. II. §. 28.). Neque di-  
spari ratione damnationi, quam subire debet homo finaliter àzisias, ra-  
tione protensionis infinitas inest. At vero magnum unum æqua-  
le alteri infinite magno habendum esse, quis in dubium vocabit?  
Quare si Christum pro àzisias finali hominis satisfactionem præstisset,  
ponamus, sustinuit poenam, peccato huic æqualem. Et pari ratione dum  
finaliter àzisias àzisias finalis caussa damnatur, ipse poenam peccato æ-  
qualem sustinet, poenam protensiue infinitam sufferens ob peccatum  
quod intensiue infinitæ graptatis erat.

## U 2

## IV.

## IV.

*Argumen-  
tum aucto-  
ris primum  
contra satis-  
factionem  
Christi pro  
āris finali.*

Ex hisce principiis, argumento, quod e Theologia Rev. supra enarraui (Spec. VI. §. 4.), in formam reducto, concludo ita:

Si Christus pro  $\alpha\pi\sigma\tau\alpha$  finali præsticit Deo satisfactionem, sc. passiuam, sequitur, vt finaliter  $\alpha\pi\sigma\tau\alpha$  propter  $\alpha\pi\sigma\tau\alpha$  finalem nequeat damnari;

Sed falsum est posterius, quia damnatur vere.

E. falsum est quoque prius.

Consequentiæ autem veritatem stabiliui inde, quia, si finaliter  $\alpha\pi\sigma\tau\alpha$  damnatur ob  $\alpha\pi\sigma\tau\alpha$ , et Christus etiam pro finali eius  $\alpha\pi\sigma\tau\alpha$  satisfactionem passiuam præsttit Deus idem  $\alpha\pi\sigma\tau\alpha$  finalis peccatum punit poena dupli, quarum quælibet delicto æqualis est, sc. altera in Christo, sanguinem pro hoc peccato fundente et moriente, altera in homine, damnationem eiusdem peccati caussa subeunte (§. 3.); at vero dupli poena, quarum quælibet delicto æqualis, idem delictum persequi, Deus, dum summa oblatæ iustitia ipsius, non potest (§. 2.). Huius argumenti vim si non intelligis, aut data opera ad illud oculos mentis claudis, nunquam te posse de salute tua, licet fidem geras finalem, certum esse, tibi ostendam. Nempe si ob peccatum  $\alpha\pi\sigma\tau\alpha$  finalis homo damnatur, et Christus quoque satisfactionem passiuam pro eo præsttit, sive Deus in hac caussa vnum peccatum punit dupliciter: versa vice hoc etiam potest fieri, vt ob peccatum aliud quodcunque Christus satisfactionem passiuam præstiterit, et homo quoque, licet fide prædictus, damnetur. Nam ita quoque nill fit amplius, nisi vt Deus vnum peccatum puniat dupli poena, quarum quælibet peccato æqualis. Itaque posita licet fide, semper tamen, ne Deus peccatorum caussa te quoque, præstita licet a Christo satisfactione, damnet, verendum est; nisi Deum nequire vnum peccatum duplicitate punire, concedas. Verendum non est, inquis, quia promissio divina de salute creditibus danda obstat. Obstat, fateor. At vero hæc ipsa promissio nittitur regula, quod Deus vnum peccatum duplicitate non puniat. Hac enim regula posita, in homine satisfactionem Christi adprehendente poena peccati, postquam Christus eam sustinuit, cessat, ob eamque causam Deus liberationem a poena potuit homini sub fidei conditione polliceri.

## V.

## V.

Age! videamus iam arietes, huic argumento a Sueco nostro admotos. In eo an au-  
 Dissertationis sape nominatae de satisfact. Christi pro peccato in Spir. etor recte  
 S. §. 9. p. 65. sic disputare incipit: Non Deus, ut ad prius Cl. Viri ar- vrgeat pœ-  
 gumentum respondeam, ex quo, termino gratiae absoluto, aeterna dam- nam dupli-  
 natione punit incredulos, dupl. satisfactionem sumit, a Christo unam, cem? 2  
 abs homine alteram, dupl. pœna idem peccatum puniens, cum satisfactio  
 Christi nemini profuerit, nisi sub conditione fidei Ioh. III, 16. 18, qua  
 demum applicatur homini, et per quam sit liberatio. Miror exceptio-  
 nem. Dixeram, Deum unum finalis incredulitatis peccatum dupl. pœna punire, si Christus pro incredulitate finali satisfactionem passiuam  
 sustinuit, quoniam una pœna ex hypothesi est in Christo passio et mors  
 cruenta, altera in homine ipsa damnatio aeterna, quippe omnis finaliter  
 incredulus damnatur. Quæ computatio tanta perspicuitate nitet, vt  
 quemlibet percipere, cuius vis mentis ad duo numeranda non hebescit,  
 arbitrer. At Vir S. R., quod sole est meridiano clariss, vt seruat hypo-  
 thesi, quæ ipsum refellit, pernegat. Cur hoc? Quia satisfactio Christi  
 nemini prodest, nisi sub conditione fidei Ioh. III, 16. 18. Hæc ipsa ver-  
 ba non destruunt, sed confirmant, quod dixi. Ponis enim 1. satisfactio-  
 nem Christi, pro æris finali factam, 2. eam sine fide non prodest, h. e.  
 hominem finaliter æris damnari. Ponis igitur dupl. satisfactionem,  
 quam Deus sumit de finali incredulitate, et hanc tamen eadem hac  
 periodo infirmare et destruere intendebas. Tanta vis veritatis est, vt  
 mentem scribentis præter opinionem occupet! Deinde inepta et friuola  
 exceptio est. Quæro enim: an Christus satisfecit pro eo, quod homo  
 ad vitæ finem usque reiciat salutem in Christo oblatam, h. e. pro æris  
 finali? Respondeo negando, quia propter hoc ipsum homo damnatur;  
 unde si Christus etiam pro illo pœnam sustinuissest loco hominis, Deus  
 idem peccatum æris finalis puniret dupl. quod est contra iusti-  
 tam. Contra Vir S. R. respondet affirmando. Insto igitur: Si ita res  
 se habet, homo, ad finem vitæ usque reiciens salutem in Christo obla-  
 tam, tamen saluatur, quia alias Deus unum peccatum æris finalis pu-  
 niret dupl. Excipit: non sic, quia satisfactio Christi, nisi sub con-  
 ditione fidei, homini non prodest. Respondeo: Hic ipse finalis æris  
 reatus a te per satisfactionem Christi deletus ponitur; qui si deletus est,  
 obesse homini nequit; et si nequit obesse, finaliter incredulus debet sal-  
2  
10.

uari. Non poterit sane impiis gravior doctrina esse; at nec illa scriptura magis contraria. Quare hoc tantum supereft, ut reatum *ātisias* finalis non deletum satisfactione, a Christo præstata, dicas; quod defendo. Denique exceptioni datæ repugnantiam inesse, scias, velim. Dicis enim: Christus satisfecit pro *ātisia* finali, et hæc satisfactio Christi prodest homini sub conditione fidei. At vero si fidem (finalem) tenet homo, non est finaliter *ātisios* et contra si finaliter *ātisios* est, fidem finalem non tenet. Quodsi vero homo fidem tenet finalem, satisfactione Christi pro *ātisia* finali non eget, quia ab illa est alienus.

## VI.

*Eſponſio ad  
militudi-  
nem de re-  
emptione  
opini.*

Enim vero iam vir S. R. redemptionis notionem me edocurus est. Ita enim ille p. 65: *Praeunte Scriptura S. hunc conceptum nobis formare debemus.* Redimere cum sit terminus, quo indicatur assertio captiui alicuius ex statu servitutis in statum libertatis per pretium solutum, et talis redentio fieri quiuerit, etiamſi fructus eiusdem redemtionis ad captiuum non peruerterit propter neglegētum eius, et reiectionem, res utique est in saluo, quod aiunt. Sic, si quis pretium solutionis dedisset alicuius domino, seruo item indicasset, pretium redemtionis pro illo solutum esse, per consequens, cum esse liberum, modo indicauerit dominuſo, se esse illum, qui pretio eo est redemptus, se item consentire in liberationem suam per satisfactionem, ab altero ſuolo loco præſitam; an non is liber euadit, qui hac ratione, monitis amici obtemperans, ad ſe applicat factum alterius, et pretium idem, haud ſecus ac ſi ſuum eſſet, respicit? Quodſi neglexerit pretium illud, et reiecerit, nullo modo in factum consentiens, nec pretium pro ſe datum agnoscens, multo minus ad ſe applicans, et pro ſuo reputans, an is liber euadit? nullo modo. Iſum pretium redibit ad dominum priorem, seruus manebit seruus, et ſua ſeruitute pretium, pro ſe exhibitum, quod neglexit, compensabit. An itaque, ex quo pretium redierit ad Dominum ſuum priorem, seruus Dominus, ſeruitute illud pretium compensans, duplē ſatisfactionem ſumit? Fiat applicatio. Similitudine hac pro praesenti queſtione vi Scripturam S. clarum est ex dictis i Pet. I, 18. Tit. II, 14. Luc. II, 38. Heb. IX, 12. I Tim. II, 6. Christus pretium redemtionis dedit Deo pro peccatis, et peccatoribus, fructum eius a conditione fidei, qua homines, dependere, docens. Fidem hanc hominibus offert, et una cum hac ipsa pretium redemtionis, aſe præſitum, confert illam, et obſignat in illis,

illis, qui non restiterint. Homo adeo, per fidem sibi applicans meritum Christi, prorsus euadit liber. Quod si hoc pretium per existimat reiecerit, quandiu incredulus fuerit, non vtitur pretio, pro se dato, neque per applicationem pro suo agnoscit, sed manet peccati mancipium. Iam vero pretium hoc ipse offertur, quo usque durauerit gratiae terminus, quo demum elapso, ad Christum redit, quandoquidem indignum se hoc beneficio effecit finaliter incredulus: ut adeo, ex quo reiecerit pretium redemptionis Christi, quod propterea per applicationem ipsius pretium factum non est, pretio illo ita ad Christum, in ordine ad hunc hominem, redeunte, ut illi amplius non offeratur, pretium idem aeterna seruitute iam compensandum erit. Conf. Matth. X, 13. Certe hinc, duplum sumere Deum satisfactionem, non elicueris. Ita vero Vir S. R. rectiora me docturus, se ne quidem similitudinem recte ad negotium praesens transferre potuisse, prodit. Similitudo enim redemptionis captivi, qua S. Scriptura egregie in negotio redemptionis humanæ vtitur, quæque iam pridem a me enucleata est (Theol. Rev. T. II. §. 43. 44.), non ita, vt fecit Vir S. R., sed hoc modo ad presentem controversiam applicari debet. Fac, hominem propter caussam quamcunque captivum esse, et tertium interuenientem soluere domino redemptionis pretium, ut adeo captivus, si nunciatam redemptionem intra terminum temporis constitutum acceptare, eiusque commodo frui velit, consentiente domino, possit liberari. Fac porro, captivum liberationis beneficium sibi obtatum respuere perpetuo, donec terminus sit præterlapsus. Fac ulterius, pretium, a redemptore datum, tantum esse, ut valeat etiam pro reiectione ista pertinaci liberationis oblatæ expianda. Fac denique, captivum post præterlapsum terminum peremptorium propter repudiatam liberationem in longe tertiorem detрудi carcorem, licet redemptor intercedens ad expiandam liberationis reiectionem etiam pretium soluerit. Quæro hic iam: annon dominus captivi duplum satisfactionem sumpserit, vnam a redemptore intercedente, qui non tantum pro liberatione ipsa, sed etiam simul pro repudiatione libertatis, a captivo facta, soluit pretium, alteram a captivo, qui propter liberationem reiectionem in tertiorum carcera post præterlapsum terminum peremptorium detruditur? Et nescio sane, an synciput sanum ei possim tribuere, qui hoc negauerit? Ita vero Vir S. R. similitudinem, ut respondeat doctrinæ controversæ, instruere debuisset. Ponit enim I. Christum pro homine, sub reatu iræ diuinæ propter peccata captivo, sanguine et vita sua soluisse anger, ut homo, si ye-

Si velit salutem oblatam adprehendere, e captiuitate liberari et saluari possit; 2. hominem, non consentientem in liberationem suam, *autem* pro se datum reiicere ad terminum usque gratia peremptorium, qui in morte est; 3. *autem* a Christo datum valere etiam pro finali reiectione salutis, in Christo oblatæ, expianda, h. e. pro *axis* finali; 4. hominem post reiectionem finalem *autem* Christi damnari. Annon sic duplex pro uno peccato *axis* finalis satisfactione vel pena est, altera in vade Christo, qui pro illa mortem cruentam sustinuit, altera in ipso homine, qui propter illam damnatur? Annon sic Deus iniustitiae est arguendus, qui unum peccatum puniat dupliciter (§. 2.)? Annon ad iniustitiam hanc a Deo amouendam, dicendum est, aut saluari hominem in finali *axis* ex hac vita migrantem, aut pro *axis* finalis peccato satisfactionem Christi non valere? Annon denique, cum prius membrum in faciem contradicat Scripturæ Marc. XVI, 16. Ioh. III, 36, posterioris veritas agnoscenda est, quam ego defendi et adhuc defendo? Sed ad Christum redit satisfactione eius pro *axis* hominis finali, si homo ad finem vitæ usque satisfactionem Christi repudiauerit. Quid hoc rei est? Redit ita, ut homini post mortem non amplius offeratur. Inanis exceptio, et ad circumscribendos incautos inuenta. Num de hoc disputamus, an homini post mortem per præconia euangelica *autem* Christi amplectendum offeratur? Minime vero. Siue igitur *autem* Christi in *axis* mortuo offeratur amplius, siue minus, ponis, pro *axis* hominis finali illud factum esse; et si pro hac factum est, Deus non potest non ut pro hac factum, agnoscere; unde salua manent omnia, quæ de uno peccato dupliciter punito dixi. De cetero ineptum esse, quod in similitudine proposita redemptor intercedens non tantum pro liberatione captiui, sed etiam pro repudiatione liberationis constanti soluisse *autem* dicatur, id iam non curio. Sufficit, similitudinem ita ad declarandum negotium, de quo disputamus, esse formandam.

et de ege-  
no.

Sed una similitudine reiecta, altera in promptu est. Ita enim Vir S. R. p. 67. pergit: *Et quid queso? Ponamus et hunc casum. Pauper aliquis superbus, cuius miseriari subleuare volens alius aliquis, suppeditat vel pecunias, vel que ad victimum, et amictum, necessaria sunt, cum reiiciat haec singula, annon maneat in statu quo? et an propterea, quod beneficium, sibi oblatum, recuderit, beneficium a parte dantis non fuit bene-*

beneficium? Fiat iterum applicatio, et clarum erit, satisfactionem Christi, utpote beneficium a parte dantis Mediatoris, atque offerentis pretium, et esse, et manere, beneficium, est pauper homo, peccatis immersus, id repudauerit, nec in succum sibi, atque sanguinem, quod aiunt, conuerterit. Quanquam autem bene se hæc similitudo habet in se, ad id tamen translata, quod intendit Vir S. R., probat nihil. Est enim probaturus, quod pro finali reiectione salutis, in Christo oblatæ, Christus satisfecerit. Itaque sic similitudo formanda esset, ut euergeta non tantum pauperi miseroque offerat pecuniam, alimenta, vestimenta, ad indigentiam eius subleuandam, sed offerat etiam pro hoc ipso, quod perpetuo et constanter renuat accipere dona, quibus indigentia subleuetur. Cum vero ita formata non sit, et si formetur ita, esset absurdum et ridicula, quia respuens beneficium oblatum merito inopia sua relinquitur, non plus hac similitudine, quam priori, Vir S. R. confecit.

### VIII.

Interea dum similitudinibus disputare placuit Viro S. R., iisdem sententiæ meam aut illustrabo, aut confirmabo. Fac, esse captiuum sua culpa talem, pro cuius liberatione tertius interueniens soluat redemptionis pretium; dominum vero, pretio accepto, in liberationem captivi consentire ea conditione, ut captivus intra certum temporis terminum consentiat in liberationem suam, et beneficium, sine ullo merito ipsi oblatum, accipiat. Fac porro, captiuum liberationem oblatam et beneficium redēptionis alienæ respuere, et in neglectu et reiectione eius perseverare usque ad termini temporis præstituti momentum ultimum. Putasne, redemptorem intercedentem soluere, aut soluere voluisse etiam pro perpetua liberationis oblatæ reiectione, si hanc præsciuerit? An beneficium obtrudetur repugnanti perpetuo? Nonne squalori suo recte relinquitur, qui relinquere istum detrectat ipse? Quare si contra rationem est, redemptorem interuenientem soluere pro perpetua liberationis repudiatione, cur Christo, quæso, idem absurdum tribuis, pro ~~etatis~~ finali eum Deo satisfisse, defendens? Deinde ut altera utrū similitudine, fac, pauperem superbum repudiare et negligere dona sibi oblatæ. An euergetam ei pro neglegitu et repudiatione perpetua donorum oblatorum quidquam daturum, putas? Non potes putare, quia nil stultius esst, quam reiicienti beneficium pro reiectione nouum dare. Applicatione autem facta, quid inde elucet?

X

Hoc

*Sententia de  
negata satis-  
factione  
Christi pro  
anicia finali  
illustratio e  
similitudini-  
bus datis.*

Hoc sane, quod pro reiectione finali salutis, in Christo oblatæ, Christus non satisfecerit; quod contra Virum S. R. tuor.

## IX.

*An sententia euctoris obster, quod finaliter incredulus propter accidens damnetur?* Non melioris notæ, quam similitudines non similes (§. 6. 7.), sunt, quæ statim sequuntur p. 67: *Quemadmodum itaque per fidem liberatus a maledictione legis, non amplius est sub lege, sed sub gratia, non damnandus, sed salvandus, non duplice, nimisrum, et sua et Christi, sed una satisfactione Iesu Christi; Ita e contrario incredulus, qua talis, cum liberationem oblatam repudiaverit, et satisfactionem Iesu Christi praestitam, non est sub gratia, sed sub lege, damnandus secundum legem, vice ad quem, tamquam ingratum, fructus satisfactionis non pertinet, ob absentiam conditionis fidei, et Deo aeternas daturas personas, satisfactione Christi ipsi non impunitata. An vero sic Deus duplice paenam respectu hominis huius sumit? Nequaquam; sed cum passionem Christi pro sua haberi nolit, ipsem et satisfactionem præstabit, satisfactione Christi ad illum amplius non pertinente.* Nam neque a me negatum, neque in controversiam vocatum est, quod incredulus damnetur ob repudiacionem satisfactionem Christi, quia hoc simpliciter ita dictum, Deum duplum vinis peccati personam sumere, non inuoluit. Hoc dico potius: si Christus sanguine morteque Deo satisfecit pro hoc, quod homo ad finem vitae repudiet liberationem, sanguine morteque Christi partam; quod Vir S. R. vult; et si non obstante illa satisfactione Christi pro repudiatione liberationis finali, tamen homo propter hanc damnatur; quod docemus utriusque: tunc Deus duplum sumit vinis peccati, sc. finalis incredulitatis, paenam, quarum quilibet peccato æqualis. Cuius connexionem legitimam qui non intelligit, is ad duo numeranda ineptus, adeoque quo cum disputem, indignus est.

## X.

*An euctor in hac doctrina fallat et fallatur?*

Sed ecce! quam vana lubrica et futile sint, quæ Vir S. R. opposuit, argumenta, ita is tamē disceptationem, aduersus prius argumentorum meorum motam, claudit p. 68: *Fallit idcirco, et fallitur Vir Cl., cum ait: aut hominem, incredulum finaliter, ob suam incredulitatem damnari, aut Christum pro incredulitate hominis finali præstisse satisfactionem, negandum est.* Nam, concessu priori, posterius nullum

lo modo conceditur, ex quo in superioribus proxime monstratum est, & negata imputatione satisfactionis, propter absentiam conditionis a parte hominis, ad negationem ipsius satisfactionis nullam omnino valere consequentiam, et alioquin absolute negaretur, Christum quoque pro illis, qui percunt, esse mortuum, quod contra Scripturam esse, non affirmare non possum. Vid. Rom. XIV, 25. 26. 1. Cor. VIII, 11. 2. Pet. II, 1. Audi, quæso, Lector: Caius Titio debet imperiales centum; hos creditori Titio soluit ipse Caius, et eosdem soluit vas. Nonne dupliciter sunt soluti? Sunt sane. Quid igitur fieri debet, ne soluantur dupliciter? Si soluit debitor principalis, liber est vas; si soluit vas, liber est debitor principalis. Arbitror, te ita, quoad sana vteris ratione, iudicaturum esse. Transfer hoc igitur, quæso, ad rem nostram. Pro hominis ~~axis~~ finali si et Christus satisfecit, et propter illam homo damnatur, duplex viuis peccati poena est. Itaque ne sit duplex, aut homo finaliter ~~axis~~ damnandus non est, aut si damnatur, Christus non satisfecit pro finali ~~axis~~. Hæc sunt, in quibus (mirum dictum!) fallere et falli dicor Opponent. Quasi vero certissimum non esset, a duobus subtrahendum esse unum, si duo adesse nolis. Friuola est etiam exceptio, aut adlata aut repetita, & negata imputatione satisfactionis propter absentiam conditionis a parte hominis ad negationem ipsius satisfactionis nullam valere consequentiam. Nam de ipsa finali absentia conditionis, i. e. fidei, ex parte hominis disputamus, an pro illa a Christo praestita sit satisfactio? Quod si adfimat Vir S. R., manet, quod sæpe dixi, Deum unum peccatum duplice punire; si negat, in sententiam meam discessit. Interea Christum pro iis, qui percunt, mortuum esse, non obstante sententia mea, saluum manet. Nam qui pereunt, hi tam ut transgressores legis operum, quam ut transgressores finales legis fidei sunt spectandi. Et Christus satisfecit omnino pro iniquitatibus eorum contra legem operum, licet pro transgressione finali legis fidei non satisfecerit.

## XI.

Quoniam versus finem Dissertationis noua ratione argumentum, in quo defendendo adhuc elaboravi, oppugnatum fuisse, reperi, illi quoque iam satisfacere, non alienum est. Ita autem Vir S. R. Engestroem p. 137: *Deus, qua iustus, duplēm satisfactionem non postulat; principium particularē est, in se rite incēdens, sed deformatum applicationē Cl. Carpol, quemadmodum id supra S. 9. demonstrauimus.* Exprobatio

*Argumenti  
propositi  
adhuc alia  
defensio.*

X 2

tio inepta! Primo enim, quod obiter moneo, principium dictum non particulare, sed vniuersale est. Particulam nullus enim efficere propositionem vniuersalem, ne quidem tyrones Logicæ ignorant. Quare si dico: *nullum peccatum tale est, ut Deus pro eo satisfactionem duplificem postuleret*, principium est vniuersale, non particulare; et ipsa demonstratio superior, vniuersaliter sic principium formandum esse, edocet (§. 2.). Deinde an is deformat principium vniuersale, qui ad particularem causam applicat? Sed hoc solum est, quod ego feci. Nam sub dicto principio subsumpsi, et conclusi:

Atqui *actus finalis* est peccatum;

E. pro *actus finali* Deus duplificem satisfactionem non postulat;  
ex quo intuli porro:

E. si propter *actus finalis* hominem damnatur, adeoque is ipse pro ea satisfactionem Deo præstat, Christus hanc pro ista non præsticit; aut

Si Christus pro *actus finali* hominis præsticit Deo satisfactionem, non illam homo præstat, adeoque is propter finalem *actus finalis* non damnatur;

quandoquidem hæc esset satisfactio duplex, si homo *eternum* puniatur propter id, cuius causa Christus *λύτρον* infinitum iam præsticit. Denique sub propositione dicta conditionali priori subsumo secundum Scripturam:

Sed propter *actus finalis* finalem hominem damnatur.

Vnde non potest non sequi:

E. Christus pro hac satisfactionem non præsticit.

Tam evidentem argumentandi modum et applicationem principii vniuersalis ad causam particularem si deformationem principii in se veri Vir S. R. esse censet, ut censet, ne lux meridiana tenebrae, aut album atrum ipsi videatur, verendum est. Ad disputationis §. 9. autem futilis et inanis provocatio est, quoniam quidquid in eo dictum est contra me, id falsum irritumque esse, partim proximo et hoc specimine ostensum est, partim sequenti demonstrabitur.

XII.

Verum enim vero filum disceptationis me iterum abrumpere, et *Noui docto-*  
*vindicationem argumenti posterioris (Spec. VI. §. 4.) in aliud tempus res Gymna-*  
*differre, ratio temporis atque aliud dicendi argumentum me iam iu-*  
*tes.*  
Scilicet quod Deus immortalis Gymnasio, ecclesiæ, reipublicæ  
salutare esse iubeat! ex prouida SVPERIORVM cura ill. Gymnasium  
duobus nouis doctoribus,

VIRIS CLARISSIMIS DOCTISSIMIS,

altero

IOHANNE FRICK

altero

FRIDERICO GVILIELMO  
NOLDIO

Königse - Rudolstadiensi,

PHILOSOPHIÆ IN ACADEMIA SALANA  
MAGISTRIS,

ita ornandum est, vt prior CORRECTORIS, posterior SVBCOR-  
RECTORIS munus adipiscatur. Quorum sollemni introductioni  
dum crastinus dies dicatus est, vterque simul, ne coniuncta perse diri-  
mantur, laborum scholasticorum initium oratione inaugurali pro more  
facturi sunt, eoque consilio prior

DE SCHOLIS VETERVM CHRISTIANORVM,  
posterior vero

DE CONDITIONE SCHOLARVM APVD VETERES GERMANOS

publice declamabit.

XIII.

*Initatio.*

Istis igitur, quod noui muneris conditio postulat, facientibus, nec ego partibus, quas Directoris officium imponit, desum. Itaque VOS, SVMMORVM COLLEGIORVM PRÆSIDES PROCERES-  
QUE, VOS, CONSVLES SENATVMQVE VRBIS, TANQVAM GYMNASII PATRONVM, VOS, ECOLESIARVM DOCTORES,  
VOS denique omnes reliquos in quacunque eruditionis parte PRÆ-  
STANTISSIMOS VIROS, MVSARVMQVE FAVTORES, qua face-  
re me decet obseruantia atque modestia, compello, id a VOBIS petens  
atque contendens, ut linguis faueatis, et die crastino post horam VIII.  
matutinam ad auscultandos nouos doctores scholasticos frequenter in au-  
ditorio Gymnasi maiori confluatis. Neque vero hoc mei, sed Vestri  
causa, opto, fieri. Evidem enim optima, et Gymnasio et iuuentuti salu-  
taria spero quæque; sed Vestra potissimum, nosse, quales futuri sint, quo-  
rum fidei atque institutioni tradentur liberi Vestri, carissima VOBIS pi-  
gnora, quantaque sit bene erudiendæ iuuentutis exspectatio, quam  
sustinent noui doctores, interest.

XIV.

*Votum.*

Liceret iam riuos claudere, nisi officium humanitatis, voto pra-  
stantium, supereriset. Malæ notæ doctores scholarum sunt, qui, satis  
bene se officio fundatos esse, existimant, si horas terant quacunque ra-  
tione, negligenterque in erudienda et corrigenda iuuentute versati,  
excusationum colores, quibus inscitæ discipulorum culpam a se amo-  
lliantur, semper ad manus habeant. Tales enim ne hominibus qui-  
dem satisfaciunt; tantum abest, ut Deo et conscientiæ Vos, COL-  
LEGÆ OPTIMI, horrere tales et detestari mores, quis dubitauerit?  
Quin potius quemadmodum, vestro studio vestraque dexteritate tales  
mihi traditum iri discipulos, quales dignitas primi ordinis Gymnasi,

ec

et preparatio ingeniorum ad studia academica postulat, penitus mihi  
habeo persuasum: ita ex animo voneo precorque, Deum Vobis fortu-  
nare honorem nōnum, viresque animi atque corporis ita indies seruare,  
firmare, augere, ut laboribus fastidiisque indies perferendis et superandis  
pares sint, veque e feminib[us] doctrinārum, a Vobis spargendarum;  
crescant arbores, huic et alteri sāculo profuturae. Nos enim planta-  
mus, rigamus, incrementum autem a Deo pendet, cuius prouidentia  
totum Gymnasium sic porro etiam atque etiam commendo, ut quid-  
quid salutem eius Musarumque quietem turbare videatur, propellere,  
exaduerso autem augere et amplificare illud indies, idemque perpe-  
tuam sapientia atque pietatis officinam efficere,  
dignetur.

P. P. VINARIAE DIE XXVIII. APRIL.

M DCC XLIX.



# ἘΠÍΜΕΤΡΟΝ.

**D**i uulgationem praesentis, Lector amice, atque superioris programmati meditatus, sine die et consule, nec auctoris nomine expresso, epistolam accepi, in qua aduersus doctrinam de neganda satisfactione Christi pro ἀπίστῳ finali dubitationes nonnullæ motæ fuerant, addita petitione, ut in proximo programmata solutionem publice suppeditarem. Modesto igitur desiderio satisfacturus, argumentis anonymi ad verbum enarratis responsionem subtexam breuem. Ita auctor ille:

*Illustrationis apologetica peccati in Spiritum S. Specimine Imo §. 7. nro. 12mo. Vir Clariss. contendit, Christum pro transgressione legis fidei finali, i. e. pro incredulitate finali non fecisse satis, satisfactione puta passiuam: quia Deus duplici pena peccato aequali non puniret peccatum.*

*Sed liceat mibi contra hæc sequentia adferre.*

*Si incredulitas finalis in rectione totius meriti Christi, usque ad finem vita continua, constituit; sequitur, ut ἀπίστῳ finali peccans et actiuam et passiuam Christi satisfactionem ad ultimum usque vitæ halitum reiciat. Sed verum est prius. Ergo et posterius.*

*Consequens est evidens: satisfactionem enim actiuam atque passiuam tanquam partes meriti Christi constituentes considerandas esse, nemus facile negabit.*

*Elucet hinc, posito in antecedente ἀπίστῳ finalis conceptu, nullam dari in subiecto incredulitatem finalem, nisi tam actiuam, quam passiuam Christi satisfactionem adspicatur a). Velsi aliqua adhuc dari debet*

---

a) Hoc quidquid est, mihi non repugnat. Etenim quia fides et actiuam et passiuam Christi satisfactionem adprehendere debet (Th. Rev. T. II. §. 830.), per ἀπίστον tam temporariam, quam finalem, negligi et repudiari satisfactionem Christi et actiuam et passiuam, perspicuum est. Neque huic obest, cum (Spec. I. §. 7. p. 12) scripsi: *Christus satisfactionem passiuam*

debet distinctio inter incredulitatem totalem (i. e. que circa contumum totius meriti Christi se exerit) et inter incredulitatem finalem partialem (i. e. que se in contemptu satisfactionis Christi unius vel actius vel passiu*s* sue partis meriti servatoris exerit). quae et qualis est hec distinctio? Meritum Christi totum, quantum quantum est, ab incredulitate finali peccante contemnitur. Immo, anxia finalis ideo dicitur finalis, ut ex hoc addito intelligi possit, eandem non statui partialem vel inchoatam sed consummatam.

Sed quod priora attinet, ex illis ita argumentor:

*Si Christus non satisfecit pro anxia finali passiu*s*, ergo neque reatum huius anxias sustulit. Ergo nec Deus aequalem anxiias de Christo sumit panam b).* Item:

*Si Christus non satisfecit pro anxias finali passiu*s*; Ergo nec peccatum anxias finalis unquam committitur (per def. anxias finalis c). Ergo nec ratio adest, cur Deus panam homini eternam damnationi irroget d).*

Ergo

nam pro transgressione legis fidei finali, i. e. pro anxiia finali non præstit. Nam quamvis satisfactionem passiu*m* pro tollendo culpx et pœnæ reatu, actiu*m* pro adquirenda iustitia et salute Christus præslerit immediate (Spec. V. §. 3.), tamen fieri potest, ut anxias et passiu*m* et actiu*m* Christi satisfactionem repudiet. Ita vero sequentia membra superioria verba ad me nil attinent.

b) Concedo etiam hoc. Nam anxias finalis reatum ipse homo luit damnatione; ast duplē pœnam, aequalem peccato, Deus vni peccato non infert.

c) Huius ratiocinii nego consequentiam, negoque, e definitione anxias finalis eam intelligi. Rechte autem consequentiam negari, adparebit, syllogismo ad primam figuram reducto. Maiorem, facta reductione, ponenda: *pro quo peccato Christus non satisfecit, illud nunquam committitur* falsa est. Peccatum enim ex repugnancia aduersus legem existimandum est, siue Christus pro illo satisfecerit, siue ipse peccans perpeccatum sustinendam Deo satisfactionem præstet, ut in angelis peccantibus seres habet. Maiores vero si probes, sic concludendo: *quidquid est peccatum, pro illo Christus satisfecit. E. pro quo non satisfecit, id non est*

V

est

Ergo si Christus satisfecisset pro *ānūcia* finali, tum demum Deus damnationi aeternae, tanquam pena *ānūcia* finalis aequali, hominem submitteret iuste meritoque e).

*Porro:*

Quicunque pro omni peccato omnisque peccati reatu ac pena satisfecit, ille etiam pro *ānūcia* finali satisfecisse dicendus est actiue et passiu. Aequi Christus. Ergo. Maior ex conceptibus de satisfactione actiua et passiu clara eadit. Minorem vero tum innumera Scriptura dicta, tum Libb. Symb. probant sufficienter f).

Nec obici potest: Incredulitatem finalem nunquam remitti, aeternamque damnationem secum coniunctam habere, ex qua nulla omnino

vix.

*et* peccatum, neque id committitur ut peccatum, propositio conuersa in lite iam est, neque hinc potest, ut principium concessum, adfami.

d) Noua haec conclusio per se corruit, consequentia syllogismi prioris negata.

e) Negatis prioribus, hoc etiam inarie est. Quodsi vero mens opponens haec est, negata satisfactione Christi pro *ānūcia* finali, non posse hominem satisfactionem Christi pro *ānūcia* finali per fidem adprehendere; non posse igitur peccatum *ānūcia* finalis committi, neque hinc puniri; nego pariter consequentiam alteram. Nam *ānūcia* finalis non est, qua homo non credit, Christum pro *ānūcia* finali satisfecisse, quippe quod crederetur falso; sed qua homo in non-adprehensione satisfactionis Christi pro peccatis, in haec vita commissis, ad mortis momentum usque perseverat; quod fieri potest, licet Christus pro *ānūcia* finali non satisfecerit. Et dum secundum hanc veram notionem peccatum incredulitatis finalis committi potest, licet Christus pro eo non satisfecerit, idem a Deo potest puniri.

f) Limite maiorem: quicunque pro hominum viatorum omni peccato omnisque eorum peccati reatu et pena satisfecit, ille etiam pro *ānūcia* finali satisfecisse dicendus est. Ita vero haec maior negatur, quia *ānūcia* finalis non est peccatum viatoris, sed committitur in morte et post mortem commissa est (Spec. VI. §. 5. n. 2.).

g) Re-

vnquam speranda esset liberatio : Ergo superfluam pro incredulitate finali fuisse satisfactionem Christi passuam g). Nam

- i. Nulla foret eo ipso incredulitas finalis, nisi Christus pro peccatis eorumque pénis, ad finem vitæ usque commissis tolerandisque, et, ut uno verbo complectar, pro omni reata et culpe et pénæ satisfecisset actiue et passiue. Incredulitas enim finalis est contemnitas oblati nobis totius meriti Christi (ad quod ipsa etiam passua satisfactione pertinet), ad finem vitæ continuatus. Quia vero ratione illud ad mortis usque articulum totum nobis offerri posset, nisi pro contemni gratiæ huiusque aeterna contemtus pénæ Christus satisfecisset h).
2. Ideo satisfactionum est pro incredulitate finali ciusque pénæ, ve conuincamur penitus, aeternam damnationem non a defectu gratiæ, praे molti peccati superabundante, sed a nostra culpa dependere i).

Expo-


g) Reste illud obiicitur. Nam quia satisfactione Christi eo sine facta est, vt, fide intercedente, homo a damnatione liberetur et saluetur, certe vt saluari possit: vbi non potest amplius saluari, superuacua est Christi satisfactione (Spec. VI. §. 6.). Vnde dum finaliter incredulus nulla e damnatione liberatio speranda est, satisfactione Christi omnino pro finali eorum incredulitate esset superflua. Scilicet vt satisfactione Christi superflua, neque hinc facta est pro peccatis damnatorum, vt talium, quia in illis poenitentia et fides non amplius locum habent: sic par ratio est eorum, qui incredulitas finalis rei sunt.

h) Christus satisfecit pro omnibus peccatis, quæ homo committit, vt viator. Et haec satisfactione est, quæ ei, quam diu viator est, offertur adprehendenda. Sed fieri potest, vt homo eam adprehendere recusat, et in hac recusatione ex hac vita migret. Ita habes peccatum *æternum* finalis, licet Christus neutriquam pro ipsa hac *æterna* satisfactione ponatur, sed tantum pro iis peccatis, quæ homo, vt viator, commisit. *Æternum* finalem enim qui committit, is non amplius viator est.

i) Finis satisfactionis Christi pro *æterna* finali allegatur frustra, quia ipsam satisfactionem hanc nego, et quod non est, eius nec potest finis esse. De cetero damnationem eorum, qui damnantur, non a defectu gratiæ, sed a culpa eorum propria pendere, non nego. Nam tunc quoque id verum est, si pro incredulitate finali Christus non satisfecit. Nimimum Chri-

*Expatis hisce lubenti largior animo, quodlibet horum TIBI VIR CLAR. dubiorum leuidens nimis videri; quin imo largior, inter legendum TIBI plures denis ad singula presto esse responsiones: at vero, cum pro meis ingenii viribus magnum mihi in cognoscenda veritate obicem ponant: decentibus per quam a TE contenendo precibus, ut hacce TECVM communicata, qualiacunque sint, publica in proxime sequenti apologetica Illustrationis specimen dignari velis response.*

Christus satisfecit pro omnibus peccatis hominis, ut viatoris, aditumque ad salutem ei aperuit; eadem gratia per Christum pars homini offertur apprehendenda, dum hanc vitam agit. Quodsi vero homo gratiam oblatam negligat aut reiciat ad extremum usque halitum, sibi sane culpam perditionis sua tribuet, non Deo. Ita vero satisfactio-  
ne Christi pro incredulitate finali non opus fuisse ideo, ut culpa damnationis a Deo remoueretur, adparet.



*Index.*

- 1.) Haus de Trib⁹ fact⁹ credit⁹ nec farūs. P. I.  
2.) — — — — — P. II.  
3.) — — — — — P. III.  
4.) Lampe de Inspiratione.  
5.) Nonnen de Donis Spiritus S. Extraordinariis P. I.  
6.) — — — — — P. II. (Rel. VI.) Tom. II Theolog.  
7.) — de Sureb⁹ Satana veris & pratenfis in gen⁹ humarum.  
8.) Kirchhoff de Chr̄isto homine obligatione legum dei. antecod. & eterna soluto.  
9.) Nonnen de Summo Dominio Seadown⁹ Egalitati in Universum.  
10.) Schele de Prosternia Salutis humana per Chr̄istum parta pre felicitate concreata in statu integ.  
11.) Nonnen de Fide in Nomen Domini nostri Iesu Christi; filii Dei.  
12.) Corpori Illustrationes apologetica Peccati in Scriptura Sancta Specimen I  
13.) — — — — — Spec. II.  
14.) — — — — — Spec. III.  
15.) — — — — — Spec. IV.  
16.) — — — — — Spec. V.  
17.) — — — — — Spec. VI.  
18.) — — — — — Spec. VII.  
19.) Observatorum contra Corpori sententiam de Peccato in Sp. S. Pars I.  
20.) Schwarz de Senfum in dijudicanda Transubstantiatione mystica Testimonia.  
21.) Nonnen de Auta Beatorum gloria post consummationem Medicatoriis.  
22.) Lampe de Poenarum Aeternitate. Pars dogmatica.  
23.) — — — — — Pars elenchica.  
24.) Nonnen de Rebus Tabernaculi typis coelestium.  
25.) Camerarius de Lucta precum.  
26.) Weier de Disciplina ej⁹ qud Naturale & Morale dicitur in Theologia.  
27.) Serpilius Octo Theologorum.  
28.) Zacharia de Fraterrilate Christiana.  
29.) Lidgiz de Projusticiis practicis Christianismo noxiis.  
30.) Kon Miltzoff de Prudentia nupturientium ganica.
















the scale towards document

dissertatus publicè. Notus  
tificiorum est clamor, non nisi  
ngō natos à Lutheri temporib⁹  
tantum Theologos, manifestō  
siæ indicio. Sed nux illa nix, &  
est, hominum vana ac profana  
). Retorqverē eqvidem, proprio-  
ectantes gladiō jugulare liceret,  
l ad ipsorum met summorum  
provocare Exempla, v.g. Sixti V,  
qvondam Pastor, pastoratum  
sè administrâsse prædicatur ab  
ariis. Ast nolumus, Habuere  
v Protestantium, si gloriari fas  
Pontificia, Doctores Celsissimo  
temmate natos. *Lutherana GE-*  
*Anhaltinum Principem*, cuius pro-  
bes Sacræ, vitamqve verè san-  
toribus Gallorum, qvorundam  
bus oppositam, lege sis apud D.  
um, Theodorum de Bry, & Jo-  
nisdardum, conferqve pulcherri-  
pi Melanchthonis Encomium,  
huic Theologorum Principi  
pa-